

## SERMO III.

*De admirabili Dei cum homine commercio.*

1. *Puer natus nobis* (Isa. ix, 6). Nobis prorsus; non enim sibi, non angelis. Sibi, inquam, natus non est, ut scilicet hac nativitate esse, aut melius esse inciperet, qui antequam temporaliter nasceretur, æternaliter erat, et perfecta beatitudo sibi erat, quia de Deo perfecto perfectus Deus natus erat. Angelis natus non est; quia nec angelus ille qui in veritate stabat, reparatione indigebat; nec illius qui ceciderat, casus reparabilis erat. Ideo nusquam angelos apprehendit, sed semen apprehendit Abrahæ (Hebr. ii, 16); et qui Deus natus erat sibi, puer natus est nobis: se quodammodo relinquens, et angelos transiliens, ut ad nos usque deveniens unus fieret e nobis; et exinanitus a semetipso, minoratur ab angelis, ut æqualis fieret nobis. Qui igitur natus æternaliter sibi et angelis erat beatitudo, natus temporaliter nobis, factus est nobis redemptio; quia nos solos laborare videbat antiquo nostræ nativitatæ præiudicio. Quam felix, quam amabilis nativitas tua, puer Jesu, quæ nativitatem omnium emendat, conditionem reformat, præiudicium solvit, chirographum damnatæ naturæ rescindit: ut si quem piget damnabiliter esse natum, possit felicissime renasci! Quotquot autem receperunt eum, dedisti eis potestatem filios Dei fieri (Joan. i, 12). Gratias agimus gratuita atque gratiosæ nativitati tuæ, Deus filii hominis, per quem accessum habemus in gratiam istam in qua stamus, et gloriamur, in spe gloriæ filiorum Dei (Rom. v, 2). Prorsus admirabile commercium. ut sumens carnem, largiaris deitatem! commercium, inquam, charitate, non cupiditate contractum; indulgentiæ quidem tuæ gloriosum, sed indigentiam meam omnino lucrosam. Vere tu puer misericors, quem sola misericordia puerum fecit: licet pariter misericordia et veritas in te obviaverunt sibi (Psal. lxxxiv, 14). Vere, inquam, tu misericors puer, natus es nobis, non tibi: lucra nostra, non augmenta tua nascens de nobis quæstisti, quia ad hoc solum nasci dignatus es, ut nos minoratione tui proveheres, humilitatione glorificares. Tu exinanitus nos replesti: tu enim omnem tuæ plenitudinem divinitatis in hominem transfudisti. Transfudisti, sed non confundisti. Transfusum tamen Deum in hominem non dicere, si ad mensuram datum huic homini spiritum audirem: si de omni sua plenitudine penes Deum aliquid recedisset, quod non in hominem, cui unitus est, effudisset.

2. Merito igitur oleum effusum nomen (Cantic. i, 2) Dei hominis, vel certe unguentum exinanitum; cum ita funditus Dei in hominem effusus sit, ut eum semetipsum exinanisse (Phil. ii, 7) confiteatur fides Apostoli. Quanquam sic utique se exinanivit, ut in se ipso nihil prorsus minuerit, aut mutaverit; nec alia esse potuit naturæ immutabilis exinanitio, quam naturæ nostræ, quæ terra inanis

et vacua est, assumptio. Magna prorsus exinanitio ista in oculis videntium, ut splendor gloriæ et figura paternæ substantiæ, non nisi formam præferat servilem, et in ipsa non habens speciem neque decorem. Quasi enim parum exinanitus esset, **926** si homo solum fieret, etiam humanæ carnis gloriā ita funditus in se vacuavit, sapientiam infatuavit, infirmavit virtutem, minuit magnitudinem; ut et in nativitate minimum, et in passione se exhiberet novissimum virorum: unde nec reputaverunt eum. Vis autem videre Deum exinanitum a semetipso? vide jacentem in præsepio. *Ecce Deus noster* (Isa. xxv, 9), Isaias ait, qui de tam longinquo vidit, et cognovit præsepe Domini sui, imo Deum in præsepi, *Ecce*, inquit, *Deus noster*. Ubi, quæso? In præsepio, inquit. Infantulum quidem ibi invenio. Huncine tu dicis illum esse, qui dicit, *Cælum et terram ego impleo* (Jerem. xxiii, 24): imo cuius majestati angusta est omnis cœli latitudo? Pannis involutum video. Huncine tu dicis illum esse, qui gloriā et decorem induit lucis inaccessibleis, amictus incircumscripso lumine sicut vestimento? Vagientem audio. Huncine est qui in cœlis tonat, sub cuius vocis tonitruo potestates angelicæ submitunt alas suas? Sic est, inquit alius propheta satisfaciens pro Isaia, omnino sic est: *Hic est Deus noster*, sed exinanitus est, ut te repleat, et a se quodammodo deficere voluit, ut te reficiat. Conclamat omnis chorus prophetarum uno spiritu, eademque sententia, etsi aliqui voce diversa, sic est: *Hic est Deus noster, et non æstimabitur alius præter eum* (Baruch. iii, 36); neque enim est alius præter eum. Sed scio, inquit David, scio, quia non credet signo huic, sed contradicet generatio prava et adultera Judæorum; enarrate vos, apostoli, in progenie altera Gentium. Quid? Quoniam hic quem Judæus jacentem in præsepi nec respicit, pendentem in cruce despicit; cum miro modo nascitur, non videt; cum mira operatur, invidet; cum dira patitur, irridet: *Hic*, inquam, *hic est Deus noster in æternum et in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula* (Psal. xlvii, 15).

3. Et ecce jam prædicantibus apostolis, testificantibus prophetis, etsi vellus siccatum est, sed aræ latitudo infusa est (Judic. vi, 39, 40): etsi cucurbita aruit, Ninive salvata est (Jonæ iii et iv); et amissio Judæorum, divitiæ facta mundi, et salus gentium. Adorant omnes reges terræ parvulum qui natus est nobis, omnes gentes serviunt ei: quia si qui sunt qui non serviant, vel non sint servituri, quasi non sint, sic sunt coram eo, (Isa. xl, 17); gens etiam et regnum, quod non servierit ei, peribit. Jam tamen videmus et gaudemus impletum, quod per Isaiam fuerat a Patre promissum: *Viri sublimes ad te transibunt, tui erunt, post te ambulabunt, te adorabunt, teque deprecabuntur*. Et merito, inquit, quia *in te tantum est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator* (Isa. xlv, 14, 15). Si unquam

manifestius, si expressius potuit dici Jesus Deus, nunquam eredit Judæus: aut certe si derogat hæc esse dicta de Jesu, ostendat alium in quo sit Deus, et qui sit Deus, nec præter eum Deus; quandoquidem nec personarum Trinitatem fatetur, ut assignare possit Deum, in quo sit Deus, ita ut alius Deus præter eum non sit. Sed te, perfide, scandalizat, quod ad pietatem ædificare debuerat; quod scilicet Deus absconditus, et homo oculis adhibitus est, tanquam lutum ex sputo, quod ad videndum Deum cæcum illuminaret. Hoc, inquam, scandalo tibi est, quod in infirmitate carnis abscondita est fortitudo Dei; et in infirmitate crucis abscondita est fortitudo hominis Dei; quod inglorius inter viros aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum: unde nec reputasti eum, sed putasti quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum; cum Deus posuerit in eo iniquitates omnium nostrum (Isa. liii, 4, 5). Nam et tuam quoque suscepisset, si tu eam vel ad extremum deponere voluisses. At tu, miser, non deponis, sed apponis iniquitatem super iniquitatem; super sanguinem prophetarum, sanguinem Filii Dei et Apostolorum. Impone igitur, quandoquidem ita vis, impone jugum iniquitatum tuarum, tibi et filiis tuis: mihi enim regnum Christi portare magis decet, ut meas ipse portet iniquitates. Tu porta colligationes impietatis, fasciculos deprimentes: ego portem fasciculum myrrhæ, quem Maria mihi colligavit, panisque involutum in præsepi reposuit.

4. Vos igitur, fratres mei, qui cognovistis præsepe Domini vestri, Dominumque in præsepi, quem Israel non cognovit: vos, inquam, quibus Salvator ideo non viluit, **927** quia misericors esse voluit; sed eo vobis tenerior in affectu, quo minor est in aspectu: cantate, et exsultate et psallite, *Puer natus est nobis, filius datus est nobis*. De Judæis quidem est natus, sed nobis est natus; quia illis ablati, nobis est datus. *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. Notum fecit Dominus salutare suum* (Psal. xcvi, 1-3): adeo ut et asinus de Gentibus cognoscat in præsepi Dominum suum, fenum sibi factum, quia omnis caro fenum (Isa. xl, 6). *In conspectu namque Gentium revelavit justitiam suam* (Psal. xcvi, 2): quam Judæus ignorat, velum adhuc habens super faciem suam. Velum habet, quia zelum tenet: unde nec velum videt, sed invidet quod *puer natus est nobis, filius datus est nobis*. Nec invidet, quod cupiat habere sibi, sed quod cupiat perire et mihi et sibi. Mallet æmula et mala meretrix infantem necari, quam vivum mihi dari. Sed iudicium nostri Salomonis, cuius sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, scrutans corda et renes, in inveniendā matre non erravit: *Date*, inquit, *Ecclesiæ infantem vivum: hæc est enim mater ejus* (III Reg. iii, 26, 27). *Quicumque enim fecerit voluntatem ejus, ipse mater, et frater, et soror ejus est* (Matth. xi, 50). O Domine Salomon, tu matrem dicis, ego ancillam profiteor. Ancilla Christi sum: fiat mihi secundum verbum

tuum (Luc. i, 38). Et quidem matrem amore et sollicitudine me præstabo, quantum potero; sed conditionis meæ semper memorero.

5. O fratres, hoc nomen matris non est singulare prælatis, quamvis specialis eis incumbat cura maternæ sollicitudinis et pietatis: commune est et vobis, qui facitis voluntatem Domini. Utique et vos matres estis pueri qui datus est in vobis, et in vobis, ex quo videlicet a timore Domini concepistis, et parturistis spiritum salutis. Vigila igitur, o mater sancta, vigila super curam recens nati, donec formetur in te Christus, qui natus est tibi, quia quo tenerior est, eo facilius potest perire tibi, qui nunquam perit sibi. Spiritus siquidem qui in te est, si tibi extinctus fuerit, redit ad Deum qui dedit illum. Vigila, inquam, super curam recens nati, memor quoniam æmula tua dormiens oppressit filium, qui datus erat ei. Quæ est enim illa, nisi carnalis anima, quæ spiritum exstinguit negligentia et inertia. Hujusmodi homines, cum religionis amiserint fervorem, ipsius tamen sibi arrogant gloriā et nomen. Inde contentiones carnalium adversus spirituales, etiam in capitulis, ubi verus Salomon invisibiliter iudex præsidet. Filius meus, inquit carnalis, vivit, et tuus mortuus est: ego spiritum Dei habeo, tu non habes; in me vivit amor Dei, in te mortuus est: dum scilicet æmulantur sibi religionis auctoritatem, cuius spirituales habent veritatem; ut subducta eis auctoritate, consuetudines inducant pro sui sensus libidine. Et revera quidem mater vult æmulæ dari vivum et integrum infantem, non invidens ei gloriā, dummodo habeat et virtutem, sed illa, *Nec mihi, inquit, nec tibi sit, sed dividatur* (III Reg. iii, 26); quia nimirum sanctitatis sibi cupit retinere honorem, et allis relinquere laborem. Sed non erat qui iudicat, etsi aliquandiu dissimulat. Gladius Salomonis matrem invenit, cui adjudicat indivisum, sicut affectum charitatis, sic effectum potestatis; sicut fervorem operandi, sic favorem imperandi. Vos itaque, fratres, in quibus fides per dilectionem operans nata est de Spiritu sancto custodite eam, pascite, nutrite, tanquam parvulum Jesum, donec formetur in vobis puer qui natus est nobis; qui non solum nascendo, sed vivendo et moriendo, formam cui conformemur tradidit nobis: memor quippe semper, quod non nisi nobis natus fuit, nec nisi nobis vivere voluit, nec mori nisi pro nobis, qui pro se non habuit; ut et nos per ipsum renasceremur, secundum ipsum viveremus; in ipso moreremur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## SERMO IV.

*De plenitudine temporis a Christo allata.*

1. *Ecce jam plenitudo temporis* (Galat. iv, 4). Plenitudo ista temporis apud Paulum accipitur, seu propter abundantiam gratiæ, seu propter adimplerem præcedentis prophetiæ **928**, seu propter pleniorē ætatem fidei adultæ. De singulis

videamus. Omnium plenitudo honorum Christus Dominus est: quippe qui omnibus thesauris sapientiae et scientiae Dei, totiusque gratiae plenus est; imo in quo omnis plenitudo divinitatis habitat corporaliter (*Coloss. ii, 9*). Viderunt apostoli plenum gratiae et veritatis, et de plenitudine eius omnes acceperunt: adeo ut novissimus eorum et abortivus Paulus, vas electionis, de plenitudine quam acceperat, disseminaret ubique plenitudinem gratiae et veritatis, clamans et dicens: *Ecce jam venit plenitudo temporis (Galat. iv, 4)*. Cum enim plenus omnibus bonis natus esset temporaliter auctor temporis, quidni plenitudinem attulisset temporis? Cum caeli rorarent desuper, et nubes pluerent Justum, Salvatorem terra germinaret, tanta supernae benedictionis ubertas quidni fecunditatem terris omnibus praestaret? Benedixisti, Domine, terram tuam, dedisti benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum (*Psal. lxxxiv, 2, 13*); videlicet de uno grano frumenti, quod germinavit alvus Virginis, ubique terrarum pullulante copiosa messe fidelium. Nolo enim hanc plenitudinem temporis requiras in copia bonorum temporalium, sed aeternorum; non in proventu agrorum, sed caelorum. Si caeli rorant desuper, et nubes pluunt Justum; si terra germinat Salvatorem, et justitia oritur simul; si denique oritur in diebus Domini non solum justitia, sed et abundantia pacis: feliciora tempora ne quaesieris, quando et regnum Dei nihil aliud est quam justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto (*Rom. xiv, 17*), quod de illis procedit. Nam et nostrorum temporum ille status judicantur optimus, atque pulcherrimus, cum et justitia moribus imponit disciplinam, et abundantia cum pace quietem vitae praestat et laetitiam. Denique misericordia Domini plena est terra (*Psal. cxviii, 64*): benedixit Dominus coronae anni benignitatis suae, et campi ejus repleti sunt ubertate (*Psal. lxxiv, 12*) totius gratiae spiritualis. Et quis, nisi ingratus, plenitudinem neget esse temporis? Quae unquam aurea aetas simile aliquid habuit hujus plenitudini temporis, quando panis angelorum, omnem habens saporem suavitatis et omne delectamentum, apponitur etiam jumentis; et non solum homines, sed et jumenta, cibo pascuntur caelesti? Homines enim et jumenta salvabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus (*Psal. xxxv, 7, 8*). Infinite multiplex haec tua, Deus, misericordia, ut qui panis angelorum, non solum hominum dices ac beatifices mensas, sed etiam fenum factus, jumentorum repleas praesepia. Confiteris, o Domine sapientia misericors, quia sapientibus et insipientibus debitor est, ut qui utrosque fecisti, utrisque necessariam alimoniam procures; et tam homines quam jumenta, tam spirituales quam animales, suo quemque gradu et ordine salves. Confiteantur igitur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum (*Psal. cvi, 15*): quia misit Verbum suum carnem factum, medicinam et escam omnium; ut etiam in-

capaces Verbi, sanentur tamen et satientur carne Verbi. Edant itaque pauperes et saturantur, et confiteantur venisse beatam temporis plenitudinem; quando et in praesepibus suis paratum sine sudore vultus sui panem invenient caelestem. Numquid ergo mugiet bos, cum ante praesepe sic plenum steterit? (*Job vi, 3*.) Mugiat, sed praegera gaudio spiritus in jubilo cordis; quia praesepe Domini sui, imo Dominum in praesepi suo cognovit.

2. Libet autem adhuc manifestius videre, Christus veniens e caelis quantam plenitudinem temporis advexerit, quam facili et exiguo pretio omne pretiosum comparari posse decreverit. Duobus minutis, seu calice aquae frigidae, aut certe sola bona voluntate, jam a diebus ejus emitur regnum caelorum, quanquam etiam nunc vix inveniat emptorem in tanta multitudine divitum. Proh pudor! etiam nos ipsi, qui jam emere coepimus, jam tabulas emptiois conscripsimus, jam pignus hereditatis accepimus; etiam nos, inquam, toties a pacto resimus, ac pene complaciti poenitemus, querimur, murmuramus, quasi in negotio simus circumventi; quasi magnum sit illud prope nihil, quod exigitur a nobis. Bene de nobis prophetavit Scriptura: *Malum est; malum est, dicit omnis emptor, et cum recesserit, gloriabitur (Prov. xx, 14)*. An non merito poterit gloriari, qui immensum illud et aeternum pondus gloriae, hoc levi et momentaneo tribulationis suae comparaverit, qui sic pro nihilo salvus factus fuerit? At nunc quotidianas hinc inde querelas et molestas murmura audias: *Malum hoc, malum illud; grave hoc, importabile illud; quis tanta ac talia ferat?* Ita nemo fere est qui digne pro merito sui rem aestimans dicat: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis (Rom. viii, 18)*, nisi tunc demum cum coeperit revelari, tunc plane gloriabitur, qui modo detrahit ac de pretio se gravari gemit; cum scilicet de foro, id est, de mundo hoc, ubi contractus celebratur hujus commercii, recesserit et in domum aeternitatis suae, secum ferens rem tantam tantillo emptam, redierit. Homo plane secundum eorum Dei erat ille, homo simplex sine querela, qui ab hac arte, imo inertia et infidelitate emptorum alienus erat; Davidem dico, qui dicebat: *Quoniam non cognovi litteraturam, Domine, memorabor justitiae tuae solius (Psal. lxx, 15, 16)*. Justitiae meae nullatenus memorabor, ut labores meos exaggerem, merita magnificem; potius memorabor justitiae tuae solius, qui gratis obligasti te mihi promissorem. *In veritate tua exaudi me, in justitia tua, et non intres in iudicium cum servo tuo (Psal. cxlii, 1, 2)*: qui, si voluero me justificare, os meum condemnabit me. Per hoc enim, inquit, *introibo in potentias Domini (Psal. lxx, 16)*; quia scilicet justitias meas non statuam: per hoc potentem me faciet, et nunc in praedio, et tunc in regno: quia semper infirmitates meas confitebor. Cum enim infirmor, tunc potes sum (*II Cor. xii, 10*). Sicut ergo prudenter

apud Deum causam agit, qui justitiae suae immemor totum misericordiae committit; sic prudenter emit, qui omnem fictionem, atque avaritiam negotiationis scire renuit; qui inventa illa pretiosa margarita, non solum omnia sua, sed et seipsum ultro ac desideranter impendit. At nos tepidi, ficti, ingrati, indevoti, voluptatum amatorum magis quam Dei, vix ab illa voce infidelis et nequissimi murmuris, *Malum est, malum est (Prov. xx, 14)*, valemus compesci; etiam postquam gustavimus, et vidimus, sicut de muliere forti scriptum est, quoniam bona est negotiatio nostra.

3. Adhuc ferebat me quidam implacabilis zelus adversus ingratitude et infidelitatem hujus temporis nostri; sed revocat me, de qua sermonem institui, sancta ac beata plenitudo temporis Christi, qua etiam hodie plenius pasendi estis. Coniunctim tamen currunt, pariterque feruntur haec duo tempora tam diversa, tamque adversa, tempus scilicet gratiae, et tempus malitiae; cum tamen non nisi unum tempus inveniatur utriusque. Si enim modo non esset tempus gratiae, non diceret Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (II Cor. vi, 2)*. Et iterum, si modo non esset tempus malitiae, non diceret idem apostolus: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt (Ephes. v, 16)*. Confingunt igitur in tempore uno gratia et ingratitude, velut in stadio uno. Jam olim siquidem sapientia pugnat adversus malitiam, propter quod et nunc in hujus mundi descendit aream. Pugnat, inquam, nolens vinci a malo, sed volens vincere in bono malo. Abundabat iniquitas, et licet humana congelata esset, divina tamen non frigescebat charitas. Magnus ille ardor charitatis, et revera, sicut scriptum est, aquis multis inextinguibilis (*Cantic. viii, 7*); quod cum extremum jam iudicium postularet multitudo peccatorum, Deus tamen Filium suum misit, non ut iudicaret mundum, sed ut salvaretur per ipsum (*Joan. iii, 17*). Cum igitur jam pene consummata mundi malitia finem indicaret temporis, Redemptoris adventus novam et inopinatam plenitudinem temporis rebus infudit humanis. Cum enim mundus consenuisset, atque prope interitum esset temporis aetate, subito ad adventum Conditoris sui, nova et insperata renovatus est virtutis juventute, fideique quodam juvenili calore. Fides siquidem, cujus primævum tempus, velut quaedam pueritia, fuit in Patriarchis, qui exorti sunt primo mane Ecclesiae nascentis; adolescentia vero in Prophetis; ad plenitudinem demum juvenilis exerevit roboris in Apostolis, quando et calorem suae virtutis mundo spectabilem praebuit in tam praeclaris, atque fortissimis innumerabilium martyrum triumphis. Hanc adultam ac plenam aetatem fidei vocat hi qui sub paedagogo legis erant, nihilque a servo differebant, dum erant parvuli, jam adulti libertatem filiorum receperunt per Unigenitum Patris (*Galat. vi, 1-9*). Qui nimirum, ut nulla plenitudo

PATROL. CLXXXV.

suo deesset tempori, plenus tam gratia quam veritate venit, quatenus et per gratiam impleri faceret legis mandata, et per veritatem impleveret ipse promissa; adeo ut quidquid etiam universis retro saeculis mystice gestum aut dictum fuit, totum verius ac plenius impletum sit in hac plenitudine temporis. Nam et hic ipse dies tot sacramenta, tot oracula, quasi recapitulata in brevi hodie exhibuit, ut de eo vere dici possit: *Consummatus in brevi, explevit tempora multa (Sap. iv, 13)*.

4. Cum ergo tot modis constet quia venit beata plenitudo temporis: recte querelas insipientium Salomon compescuit, dicens: *Ne dicas, Quid, putas, causae est quod meliora fuere tempora priora quam nunc sunt? Stulta est, inquit, hujusmodi interrogatio (Eccl. vii, 11)*, cum manifeste felicissima tempora fecerit hominibus gratia Dei; ingratitude autem hominum pessima fecerit ea sibi. O tempus acceptabile, cui tam beatum, tam auspiciatum initium dedit dies iste, quo natus conditor aeternus temporis, aeternitatem mortalibus nuntiavit! O vere dies salutis dies iste, quo nata salus mundi se ipsam poculum salutare miscuit aegrotis! O fratres, de die isto loquebatur, ni fallor, Sapiens filio suo: *Non defrauderis a die bono*. Et exponens quid sit non defraudari: *Particula, inquit, boni doni non te praetereat (Eccl. xiv, 14)*. Diem quippe bonum pro eo dicit, quia datum est hodie donum bonum, prorsus datum optimum, donumque perfectum, descendens a Patre luminum; quod quale sit nemo scit, nisi qui accepit. At vos, fratres, spiritum qui ex Deo est accepistis, ut sciatis quae a Deo donata sunt vobis, qui ex sententia cordium cantatis: *Filius datus est nobis (Isai. ix, 6)*. Filius iste, panis est filiorum, qui de seipso hodie beatum ac solemne universae familiae Patris exhibet epulum.

5. Gratias tibi, Pater misericordiarum, qui panem nostrum quotidianum das nobis hodie, tantaque largitate aperuisti manum tuam ad implendum omne animal benedictione, ut ipsa etiam benedictione plenum inveniatur eorum praesepe. Quam miserum, quam brutum ac stolidum, imo quam sibi nequam et invidum illud animal, quod sese isto die bono defraudat, ut eum particula doni boni praetereat, ut scilicet expers gratiae caelestis, quae ei proposita est, fiat, diemque totius refectionis et gaudii tristi ac jejuno corde praetereat; quasi necdum venerit copiosissima plenitudo temporis, nec praesepia simplicium et humilium panis impleverit caelestis! Hujusmodi hominem sibi nequam et invidum, Deo ingratum et injuriosum, notat Sapientia, cum ait: *Oculus malus ad mala opera et non saturabitur pane, indigens et in tristitia erit super mensam suam*. Ideo, inquit, non saturabitur bonis anima ipsius, quia oculus ejus ad mala, nec revertetur oculus ejus, ut videat bona, ut cum pietate et fide consideret quae ei apposita sunt in magna divitis mensa. *Nequam est enim, inquit, oculus lividi, avertens faciem suam et despiciens animam suam (Eccl. xiv, 10, 8)*. Pro-

cul dubio, fratres, si faciem non avertimus a consideratione illius qui jacet in præsepi, ipso intuitu possumus felicissime pasci, dicemusque: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ, ibi me collocavit* (Psal. xxii, 1, 2). Tunc plane sciemus quia venit desideratissima plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum, per quem tanta jam replemur plenitudine honorum: ipsi benedictio et gratiarum actio, et nunc, et per infinita sæcula sæculorum.

## SERMO V.

*De mira Dei providentia in nativitate Christi.*

1. Convenistis, fratres, ad audiendum verbum Dei. Deus autem aliquid melius providit nobis, ut non solum audire, sed etiam videre datum nobis hodie sit Verbum Dei, si modo *transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod fecit Dominus, et ostendit nobis* (Luc. ii, 15). Noverat hominum sensus invisibilium incapaces, celestium indocibiles, ad fidem quoque difficiles, nisi res ipsa de qua fides suadetur, visibiliter ipsis sensibus convincendis ingeratur. Nam etsi fides est ex auditu, multo tamen proclivius **931** ac promptius ex visu: sicut illius exemplo docemur, cui dicitur, *Quia vidisti me, credidisti* (Joan. xx, 29); qui scilicet dum audiebas incredulus fuisti. Quia enim difficiliter audita, quam visa creduntur, ideo merito fides illorum qui non viderunt, a Domino beata prædicatur; quippe qui plus detulerint auctoritati sermonis, quam experientiae proprii sensus, aut rationis. Deus tamen per omnia volens satisfacere tarditati nostræ, Verbum suum quod prius fecerat audibile, hodie fecit nobis etiam visibile, imo et tractabile; ut et quidam ex nobis potuerint dicere: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ* (Joan. i, 1). Fuit ab initio illius, quæ sine initio est, æternitatis; audivimus promissum ab initio temporis: vidimus et contrectavimus exhibitum in fine temporis. Alias autem invenies quod non solum visibile et tractabile, sed etiam gustabile et odorabile nobis Verbum Dei factum sit, quippe quod per omnes vias sensuum, aditum sibi ad animam quæsierit, quatenus sicut per sensus mors intraverat, sic per eosdem rediret et vita. Quod ergo Verbum caro factum est (Joan. i, 14), nobis qui toti sumus caro, factum est; ut qui antea Verbum Dei tantum poteramus audire, jam carnem tactum et videre possimus et gustare, omnesque sensus in testimonium auditus convocare; quatenus omnes nostri sensus consensu uno, et voce una confiteantur, *Sicut audivimus, sic vidimus* (Psal. xlvi, 9). Incomparabiliter tamen amplius tunc concessum est visui, quam unquam fuerat auditui, cum modo videatur Verbum, quod Deus est, et antea magnum haberetur audire verbum quocumque ex Deo. Et verbum quidem quod ex Deo est, vidi aliquando, fratres, cum tædio audiri; sed Verbum quod Deus est, nunquid poterit nisi cum gaudio

A videri? In me primum sententiam feram: quia Verbum, quod Deus est, cum se hodie mihi videndum præbeat in eo quod sum, si me non lætificat, impius sum; si non ædificat, reprobus sum.

2. Si quis ergo, fratres, acediosus invenitur inter nos, nolo diutius ut fatigetur aures ejus sermone nostro contemptibili; transeat usque Bethlehem, et illud in quod desiderant Angeli prospicere, prospiciat ibi, Verbum scilicet Dei, quod Dominus ostendit nobis; imaginetur animo, Sermo Dei vivus et efficax qualis ibi jaceat [al. qualiter ibi taceat] in præsepi. Si tantum pietas oculum illuminet intuitus, quid tam delectabiliter potest videri, tam salubriter cogitari? Quid æque mores ædificat, spem roborat, charitatem inflamat? Omnino fidelis sermo, et omni acceptione dignus, omnipotens Sermo tuus, Domine; qui tam alto silentio a regalibus Patris sedibus animalium illapsus præsepibus (Sap. xviii, 15), melius interim suo nobis silentio sermocinatur. Qui habet aures audiendi, audiat quid nobis hoc pium et mysticum æterni Verbi loquatur silentium; quoniam, nisi me fallit auditus, inter alia quæ loquitur, loquitur pacem in plebem sanctorum, quibus reverentia ipsius et exemplum religiosum imposuit silentium, et rectissime quidem imposuit. Quid enim tanto pondere, tantaque auctoritate disciplinam commendat silentii, quid tanto terrore compestat inquietum malum linguarum procellasque verborum, sicut Sermo Dei silens in medio hominum? Non est sermo, in lingua mea, confiteri videtur omnipotens Sermo, dum Matri subditus est; et nos qua dementia dicemus, *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt; quis noster Dominus est?* (Psal. xi, 5.) Liberet mihi, si liceret, obmutescere et humiliari, et silere etiam a bonis, ut attentius et diligentius aurem possem adhibere vocibus arcanis, sacrisque sensibus hujus divini silentii, et vel tanto tempore sub silentio discere in schola Verbi, quanto Verbum ipsum sub disciplina siluit Matris.

3. O fratres, si pie ac diligenter intendamus huic Verbo quod Dominus fecit hodie, et ostendit nobis, quanta, quamque facile possemus ab ipso perdoceri? Verbum siquidem brevium est, ita tamen ut in eo consummatum sit omne verbum quod ad salutem est, quia nimirum verbum consummans et abbrevians in æquitate ipsum est. Et hæc *consummatio abbreviata inundavit justitiam* (Isa. x, 23), sicut promissum meministis per Isaiam; quia de sua plenitudine **932** in participes suos redundavit justitiam, ut abundet justitia ipsorum, plus quam et Phariseorum et Scribarum; licet illi per tam multiplices se exercitent justificationes legis, isti autem brevi ac simplici contenti sint verbo fidei. Sed quid mirum si omnia verba sua nobis Verbum Dei brevaviat, quando et se ipsum breviam, et quodammodo minui voluit, adeo ut de incomprehensibili immensitate sui ad angustias uteri quodammodo se contraxerit, et, continens mundum, in

præsepi se passum sit contineri? In celo Verbum istud horribili altitudine sua virtutes angelicas stupefacit; in præsepi simplices et hebetes pascit: ibi subtilissimis Angelorum intellectibus inscrutabile, hic etiam obtusis hominum sensibus palpabile. Quia enim Deus non poterat loqui nobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, Verbum ejus factum est caro, ut non solum audire, sed et videre posset omnis caro quod os Domini locutum est. Et quia in sapientia sua non cognovit mundus sapientiam Dei, dignatione ineffabili eadem Sapientia Dei se stultitiam fecit, ut quamlibet idiotis vel hebetibus se discipulem præberet, et per stultitiam prædicationis salvos faceret credentes. Confiteor tibi, Pater, Domini coeli et terræ, quia sapientiam tuam abscondisti a sapientibus et prudentibus, et revelasti eam parvulis. Ita, Pater, sic fuit placitum ante te (Matth. xi, 25, 26), ut parvulis daretur parvulus qui natus est nobis, quandoquidem altitudo superborum nimis abhorret ab hujus humilitate parvuli, et quod altum est apud homines, abominabile est apud Deum; qui, cum veraciter altus sit, parvulus factus est pro nobis. Cum solis nimirum parvulis concordat iste parvulus, in solis requiescit humilibus et quietis. Sicut igitur parvuli gloriantes de eo, cantant, *Parvulus natus est nobis* (Isa. ix, 6), sic et ipse gloriatur de eis: *Ecce ego, inquam, et pueri mei, quos mihi donavit Dominus* (Id. v, 18). Ut enim parvulo Filio suo Pater sodales daret de coætaneis suis, statim primo omnium ab innocentia parvulorum cœpit gloria martyrii; hoc significante Spiritu sancto, quia non nisi talium esset regnum cœlorum (Matth. xix, 14).

4. Si tales effici volumus, fratres, iterum atque iterum transeamus usque Bethlehem, et diligentius intueamur hoc Verbum quod caro factum est per Deum immensum, qui parvulus factus est, ut in hoc visibili et brevato Verbo discamus sapientiam Dei, quæ tota humilitas facta est. In hanc quippe virtutem illa omnimoda virtus se interim totam contulit. Nihil aliud illa summa Sapientia interim scire voluit, nisi illam scilicet humilitatem, cujus se postmodum magistrum voluit profiteri. Et iste quidem, quod nimirum in suggillationem mei ipsius loquor, iste, inquam, digne et juste magister docendæ humilitatis effectus est; qui, licet eam sibi non ignoraret et originalem a Matre, et naturalem a Patre, nihilominus tamen ab ipso Matris uero didicit eam ex his quæ passus est. In diversorio viatorum natus est, ut hospites et peregrinos super terram, ipsius exemplo edocti, nos esse confiteremur. Ibi

A quoque novissimum eligens locum, in præsepio positus est, ut et nos illud Davidicum: *Elegi abjectus esse in domo Dei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (Psal. lxxxiii, 11), opere disceremus. Pannis involutus est, ut habentes tantum quibus tegamur, his contenti simus; per omnia paupertate materna contentus, Matricumque per omnia subditus, ut totius religionis forma jam in ejus nativitate nata videretur. Beata sane simplicium fides pastorum, quæ, cum invenisset infantem pannis involutum, nequaquam in illis scandalizata est ad incredulitatem, ut minora de eo sentiret, sed ædificata potius ad pietatem, ut tantæ dignationi gratior fieret! Quanto namque se pro ipsis profundius humiliatam ac funditus exinanitam illa exhibuit majestas, tanto facilius et plenius, si digne de eis sentire volumus, totos eorum affectus sibi illius rapuit et vindicavit charitas.

5. Fratres, et vos invenietis hodie infantem pannis involutum, et positum in præsepio altaris; videte vilis tegminis ne offendat aut turbet obtutum vestræ fidei, veritatem reverentem corporis sub aliis rerum formis intuentis. Sicut enim mater Maria quibusdam assumptis pannorum involvit infantem, sic mater gratia dispensatoris speciebus rerum ejusdem sacri corporis **933** nobis obtegit veritatem; sic etiam mater sapientia æigmatibus et figuris arcanam divini Verbi contegit majestatem; quatenus et ibi simplicitas fidei, et hic exercitium studii, meritum sibi cumulet ad salutem. Nam ego, fratres, cum vobis veritatem, quæ Christus est, verbis meis enuntio, quid aliud quam Christum pannis satis vilibus involvo? Beatus tamen, cui nec in pannis istis Christus est vilior, sicut nec merces pretiosæ prudenti vilescunt propter veteres quibus amiciuntur sacculos. Christus plane est, quem vobis tradere cupio, qualisbuseunque sermonibus nostris, ut, juxta sermonem Petri apostoli, sanctificetis eum in cordibus vestris (I Petr. iii, 15.) Suscipite in mansuetudine insitum verbum, quod potest salvare animas vestras (Jacobi i, 21). Et verbum Christi abundanter habitat in vobis, amor scilicet et memoria Verbi incarnati, quatenus tam feliciter quam fideliter decantetis: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. i, 14). Tota igitur pietate cogitemus Christum in pannis, quibus Mater eum operuit, ut æterna felicitate videamus gloriam et decorem quem ei Pater induit, gloriam quasi Unigeniti a Patre, cum quo et cum Spiritu sancto honor et gloria, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## IN EPIPHANIA DOMINI.

## SERMO I

*De donis Domino afferendis.*

1. *Afferre Domino, filii Dei, afferre* (Psal. xxviii, 1). Satius est ei afferre, quam sanguisugæ, id est

concupiscentiæ, cujus duæ filia, voluptas et vanitas, non dant requiem die ac nocte, dicentes: *Affer, affer.* (Prov. xxx, 15). Quid igitur afferemus Domino? *Afferre Domino gloriam auri, et honorem*